

sitivo L. 2. c. de inutili Stipulat. Sed hanc libertatem infringit pœna a resiliente solvenda; ergo.

R. D. Maj. Debet esse liberrimum, ut quis se ad illud obliget C. postquam se ad illud libere obligavit et non interveniat justa causa N. Supposita hac obligatione libera, jam jus naturale non concedit libertatem illud contrahendi, vel non; sed e contrario datam fidem violari prohibet: similiter jus positivum c. Ex Litteris cit. ad illud tunc præcipit pœnis compellere resilientem. Igitur metus pœnæ solvendæ tunc plane justus est. Deinde retorsio est in arrha duplicata, vel quadruplicata. Item in judice sponsos sæpe compellente ad contrahendum matrimonium pœnis ecclesiasticis, vel condemnante resilientem ad gravem mulctam: nimirum quando per pœnam adstringuntur ad non resiliendum injuste, non adimitur ipsis libertas, sed adempta supponitur.

221. Obj. III. Stipulatio testamentaria de pœna est nulla et invalida; ut si quis cum testatore sic stipularetur: si hæredem me non feceris, tantum dare spondes. Ergo etiam.

R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est; quia testator non est aliunde obligatus, ut illum instituat hæredem; sed gaudet omni libertate physica et morali, quam jura semper salvam volunt, ideoque irritant stipulationes ejusmodi. E contra sponsi jam sunt aliunde obligati ex liberrima electione sua ad incundum matrimonium, quamdiu non intervenit justa causa resiliendi; igitur non gaudent amplius libertate morali ad resiliendum; et sicut, quia obligatio eorum est gravis, ideo jus naturale præcipit illam implere, jus positivum etiam urget pœnis executionem; sic se ipsos sponsi pœnis voluntariis ad ipsam urgere possunt.

ARTICULUS III.

DE SPONSALIBUS IMPUBERUM.

222. Observandum 1^o. Impuberum nomine ii intelliguntur, qui, si mares sint, nondum decimum quartum ætatis annum, si feminae sint, nondum duodecimum annum expleverunt. In ordine tamen ad sponsalia contrahenda illi magis stricte vocantur impuberes, qui septennio licet expleto, nondum pubertatem adepti sunt, hoc est in sensu juris, nondum prædictos annos excesserunt, L. fin. C. quando Tutores esse desinant, et c. 6. 10. 11. h. t. Dixi: in sensu juris: nam pubertas est duplex, legalis, quæ est determinata a legibus, et tunc habetur, quando mares annum decimum quartum egressi sunt, feminae duodecimum, eo quod tunc ordinarie esse puberes soleant, hoc est, apti ad generandum. Altera, naturalis, quæ est ipsa habilitas et potentia actualiter præsens ad generandum, sive jam adsint anni pubertatis legalis, sive non, quia subinde ante hos annos apti sunt ex dispositione naturali ad generandum. Si vero adhuc minores septennio sint, non proprie impuberes, sed infantes juridice dicuntur. Quæritur tamen hic de utrisque. Pro quo observandum

2^o. Sacros canones ætatem certam sponsalibus contrahendis, et matrimonio præscripsisse. Et quidem ad sponsalia contrahenda tam in mare, quam

femina septennium completum requirunt c. Litteras 4. c. Accessit 5. etc. de Despons. impub. et c. unico eod. t. in 6. eo quod ordinarie ante hoc tempus pleno rationis usu careamus. Ad matrimonium vero in maribus decimum quartum c. Attestationes 10. c. Ex litteris 11. h. t. in feminis vero duodecimum ætatis annum completum exigunt. c. Continebatur. 6. h. t., etc. Cum vero hujus ætatis defectum nonnunquam supplere dicatur malitia, observandum est

3^o. Malitiam supplere ætatem, aliter intelligi in sponsalibus, aliter in matrimonio. In sponsalibus malitia supplere ætatem dicitur, si ante septennium a jure requisitum adsit sufficiens rationis usus; unde malitia hic potius prudentiam, vel usum rationis denotat. In matrimonio, si ante pubertatem legalem non solum habeatur perfectus usus rationis, sed etiam pubertas naturalis, sive potentia perfecta ad generandum; proin malitia hic sumitur pro potentia generandi.

His positis, cum jura ad valorem sponsalium requirant septennium completum, eo quod ante illud ordinarie non habeatur sufficiens rationis usus,

Quæritur 1. Annon valeant sponsalia, si malitia suppleat ætatem, sive si ante septennium jam adsit sufficiens rationis usus? Non enim valere si hic absit, certum est, sive contrahantur ante, sive post septennium, ex defectu consensus ad omnem contractum necessarii, hic vero dependet ab usu rationis, quo ex supposito carent. 2. Quid juris de aliis impuberum sponsalibus?

223. Dico I. Non valent sponsalia inita ante completum perfecte ætatis septennium, licet malitia suppleat ætatem. Ita multi contra multos.

Prob. I. Lex fundata in præsumptione generali non cessat obligare, etsi in casu aliquo particulari non subesset, quod lex præsumit, ut patet in lege Tridentini irritante matrimonia clandestina ob periculum generale negandi postea matrimonium, et ideo ad clandestine contrahenda matrimonia personas inhabilitante, quæ lex semper obligat, et personæ sunt semper inhabiles ad contrahendum clandestine, licet forte in casu particulari non subsit hoc periculum: item in lege jejunii non obligante ante vigesimum primum ætatis annum, licet ante hanc ætatem adsit magna virium robustas; et similibus aliis paulo post referendis. Et ratio est, quia si lex fundetur in præsumptione generali, fundamentum legis manet semper, etiamsi in casu particulari cessaret legis finis; ergo etiam pro semper obligat, quia sic nunquam cessat ipsa lex. Subsumo: Atqui leges ecclesiasticæ exigentes ad sponsalia septennium completum, et irritantes sponsalia ante septennium fundantur in præsumptione generali, quod ante illud tempus non adsit sufficiens rationis usus ad obligationem tam gravem sibi imponendam, et quod alias fraudes, confusiones, etc. non satis evitentur, si certa ætas non definiretur. Ergo non valent sponsalia ante septennium, licet malitia suppleat ætatem.

Prob. II. Sacri canones expresse requirunt universaliter septennium completum, et sponsalia ante illud contracta absolute pronunciantur invalida, et nullibi excipiunt casum, quo malitia suppleret ætatem; ergo etiam non potest excipi pro libitu a privatis. Prob. Antec. ex c. Litteras. 4. de Despons. impub. ubi ab Alexandro III. ejusmodi desponsationes pronunciantur sim-

pliciter nullæ. Et licet ibi sermo sit de puella in incunabulis desponsata; ait tamen Pontifex occasione hujus valitura fuisse sponsalia, si puella septimum annum complevisset. c. *Accessit* 5. eod. ubi idem Pontifex declarat: *Quia desponsationes et matrimonia ante septem annos fieri non possunt.* Ubi desponsationes sumuntur pro sponsalibus de futuro, ut ex contextu clarum fit c. *Ad dissolvendum*. 43. eod. ubi Innocentius III. inquit, *inter juvenem et puellam, nec matrimonium, nec sponsalia fuisse contracta, cum constet puellam nondum ad septennium pervenisse.* At certe jussissent Pontifices attendere, an adfuisset rationis usus, si voluissent tunc valere sponsalia.

Confrmantur dicta, et simul prob. septennium debere esse perfecte completum. Dum Concilia et leges ecclesiasticæ pro celebrandis contractibus, pro professione religiosa determinant certam ætatem, vel certa tempora, non valent actus ante ea tempora, vel ætatem, licet adsit maturitas judicii, prudentia, scientia, etc. Sic nulla est professio ante exacte completum probationis annum, et ante decimum sextum ætatis perfecte completum. Sic infans juridice, sive minor septennio, utut polleat ratione, nec solus, nec consentiente tutore contractus alios celebrat valide L. 3. ff. de Auctor. et consens. Tutor. Filiusfamilias donec impubes erit, nequidem auctore patre recte contrahit. §. 10. de inut. Stipul.

224. *Dico II.* Sponsalia ab impuberibus contracta et habentibus usum rationis 1º. valent, sicque impuberes obligant, ut ante pubertatis annos resilire, eaque dissolvere non possint etiam mutuo consensu. 2º. Possunt tamen reclamare et resilire facti puberes, sufficitque, modo pars una pubes facta *illico* reclamet. 3º. Nisi forte pubertati proximi contraxissent sponsalia cum juramento; quo casu facti puberes non nisi mutuo consensu ea possunt dissolvere.

Pars 1º. constat ex c. *De illis* 7. et c. *A nobis* 8. de Despons. impub. In priore quidem expresse dicitur: *sive uterque, sive alter reclamet.* Et ratio est, ne propter fragile et lubricum iudicium sponsalia facile et sæpe temere contrahant, iterumque dissolvant.

Pars 2º. sumitur ex c. 40. de Sponsal. et juxta c. *De illis* cit. is, qui prius factus est pubes, resilire potest non expectata pubertate alterius, quamvis pars impubes resilire non possit, etsi pars altera pubes facta sit. c. cit. §. *Mulier.* Porro pars pubes facta si resilire velit, id *illico*, sive statim facere debet, hoc est, intra triduum. arg. L. fin. C. de Judic. et L. fin. C. de errore Advocat. ubi *illico* fieri dicitur, quod intra triduum proximum fit. Alias rata habuisse sponsalia censebitur. Excipiunt tamen alii cum Wagnereck ad c. *De illis*, nisi ignoraverit se pubertatem attigisse, vel sibi competere jus resiliendi, eo quod tempus ignorandi non currat.

Pars 3º. habetur ex eod. c. 40. de Sponsal. ubi hic casus excipitur. Unde licet sponsalia impuberum habeant imbibitam conditionem hanc: *nisi pars pubes facta resilierit*, ac proinde etiam juramentum adjectum eam habere videatur, juxta regulam usitatam: *Juramentum sequitur naturam contractus, cui adjectur*; fallit tamen ea regula inposito casu ob specialem exceptionem. Pubertati autem proximi censentur, si desit adhuc dimidius annus, vel integer, vel, ut volunt alii, etiam integer cum dimidio.

225. *Obj. I. contra concl. 1^{am}.* K. In Sponsalib. contrahend. ff. de Sponsal. ait Jurisconsultus satis esse sponso, quid agant, intelligere. Item: *In sponsalibus ætas definita non est, ut in matrimoniis*; ergo.

R. 1º. Sed ead. L. statim subjicitur explicatio: id est, *si non sint minores, quam septem annis*; ergo lex præsumit generaliter ante septennium eos, quid agant, non intelligere; et proinde ante eam ætatem non esse sponsalia. Unde ad alterum

R. 2º. cum Glossa sensum esse 1. quod in sponsalibus non sit eadem ætas definita, quæ in matrimonio: 2. quod in sponsalibus non sit alia ætas definita pro maribus, et alia pro feminis, ut in matrimonio; cujus ratio est, quia ad sponsalia sufficit usus rationis, qui eodem tempore, saltem ut plurimum, maribus et feminis advenit; potentia autem generandi, quæ insuper spectatur in matrimonio, tardius in viris reperitur, quam in feminis: 3. quod ætas definita pro sponsalibus non semper sufficiat, sicut ætas definita pro matrimoniis, cum sæpe contingat eos, qui septennium expleverunt, nondum pervenisse ad usum rationis, adeoque inhabiles esse ad contrahenda sponsalia. Denique

R. 3º. Dum agitur præsertim de sponsalium valore, leges ecclesiasticæ respiciendæ sunt; hæc vero determinarunt septennium completum pro sponsalibus, ut patet ex dictis in conclus.

226. *Inst. 1.* In c. *Juvenis* de sponsal. ab Eugenio valida agnoscuntur sponsalia, quæ juvenis cum puella septennio minore contraxit, eo quod in puella videretur malitia supplere ætatem; ergo leges ecclesiasticæ non definiverunt absolute septennium completum pro sponsalibus. *Prob. Antec.* Nam ibidem dicitur, quod juvenis ille impedimentum publicæ honestatis contraxerit cum consobrina illius puellæ, et ob hoc declaratur nullum esse matrimonium, quod hic juvenis postea contraxerat cum consobrina illius puellæ; ergo illa sponsalia erant valida, nam ex sponsalibus irritis et nullis nullum oritur impedimentum.

R. *N. Antec. Ad prob.* R. 1º. Ex eo, quod ortum fuisset in eo casu impedimentum publicæ honestatis, non sequitur valida fuisse sponsalia ratione ætatis, cum de jure antiquo oriretur impedimentum hoc etiam ex invalidis, modo invalida non essent ex defectu consensus, qui juxta adversarios in dato casu non defuit.

R. 2º. *D. Ant.* Dicitur, quod certo contraxerit hoc impedimentum, et præcise propter sponsalia ante septennium contracta *N.* Dicitur *sub dubio* quod contraxerit, eo quod forte post septennium facto ratificassent *C.* Eugenio non pro certo, sed sub dubio judicavit ortum esse hoc impedimentum, quia dubium erat, annon ratificassent postea sponsalia saltem facto; ait enim: *ex humana forsitan fragilitate tentavit, quod complere non potuit*; et ideo in dubio hoc tutiorem partem elegit, voluitque juvenem a puellæ illius consobrina separari, quacum contraxerat matrimonium.

227. *Inst. 2.* Pontifex pro causa separandi juvenem a consobrina puellæ istius affert impedimentum publicæ honestatis; ergo cum ex copula oriatur impedimentum affinitatis, non publicæ honestatis, supponit sponsalia

valuisse, non obstante quod contrahentium pars altera, nimirum puella necdum septennis fuerit.

R. 1^o. *D. Ant.* ut ante.

R. 2^o. *D. etiam Cons.* Si impedimentum affinitatis proveniret ex quacunque copula *C.* cum tantum proveniat ex perfecta *N.* Copula vero, de qua dubitabat Pontifex, erat imperfecta ob puellæ, vel etiam ipsius adhuc juvenis impubertatem; hoc enim supponunt verba: *forsan tentavit, quod complere non potuit.* Et inde est, quod Pontifex asserat sub dubio impedimentum publicæ honestatis pro causa separandi juvenem et puellæ conso-brinam, eo quod merito dubitabatur, an non facto aliquo licet imperfecto post septennium puellæ fuissent ratificata sponsalia; nam traduxerat puellam in domum, et hæc illius uxor dicebatur, ut tum *c. Juvenis*, tum ejus Rubrica indicat. Denique

R. 3^o. *N. Cons.* Quia, ut ipsimet adversarii supponunt; caput illud loquitur de casu, quo saltem sufficiens ad sponsalia consensus adfuit malitia ætatem supplente; hoc autem consensu supposito orta fuit olim publica honestas, licet propter ætatis defectum matrimonium et ipsa sponsalia fuerint nulla per textum clarum *c. Un. de Sponsal. in 6.*

228. *Inst. 3.* Ex una parte valent sponsalia ante septennium, si malitia suppleat ætatem, spectato jure naturali, quia hoc plus non exigit, quam sufficientem consensum: ex altera vero parte spectato jure positivo est dubium, an recesserit a jure naturali; ergo standum est pro jure naturali et valore talium sponsalium.

R. 1^o. *N. 2^{am}. p. Antec.* ob textus claros in concl. cit.

R. 2^o. Hoc argumentum, quod in aliis etiam materiis objici, et subinde male applicari solet, tunc solummodo efficax est, quando pro utraque contradictionis parte ex jure positivo afferuntur textus solidi et graves, ita ut res ponderatis textibus ab intrinseco sit vere dubia, et pro qualibet parte stet fere æqualis probabilitas; tunc enim in praxi recte suadetur sententia quæ proprius accedit ad jus naturale, licet in theoria nihilominus utraque sententia ex merito propugnetur. Et ratio est, quod alias, cum vix sit materia, in qua non videtur aliqua apparens repugnantia textuum, jus positivum deberet penitus negligi, et in rebus indifferentibus solum dictamen naturæ attendi. Cum igitur textus et rationes juris pro nostra sententia loquantur clare, saltem longe clarius, quam pro parte adversa, non versamur amplius in re vere dubia, nec præcise standum est in jure naturali, sed positivo satis claro inhærendum.

229. *Inst. 4.* Jura a nobis allata ideo præcise requirunt septennium, quia præsumunt in ea ætate adesse usum rationis; ergo si hic præveniat eam ætatem, sponsalia valebunt. *Prob. Cons.* Præsumptio cedit veritati *L. 19. ff. de Probat.*

R. 1^o. *D. Antec.* Quia præsumunt præsumptione generali non adesse usum rationis, et ex hac generali præsumptione irritant talia sponsalia, quod alias confusiones et pericula non satis evitarentur, nisi certa ætas definiretur *C.* præsumptione particulari *N. Antec. et Cons. Et huj. prob. D.* similiter: Præsumptio generalis cedit veritati *N.* particularis *C.* Inter præsumptionem

generalem vero et particularem disparitas est; quod lex fundata in præsumptione generali, et ex hac irritans actum aliquem, vel prohibens, aut præcipiens permaneat et obliget in conscientia, licet in casu particulari non subsit, quod præsumit lex; quia fundamentum legis est quid generale, e. g. periculum universale, quod permanet, et cujus evitatio est finis legis; igitur licet in casu particulari tale periculum non esset, non ideo cessaret finis legis, proinde nec lex ipsa, et consequenter nec ejus vis obligandi. E contra si lex fundata sit in præsumptione particulari, e. g. facti particularis, delicti, qualitatis, etc. et tale quid non subsit, etiam cessat lex, et consequenter nec obligat in conscientia. Et ratio est, quia cessat fundamentum, ratio, et finis adæquatus legis. Sic juxta multos, qui condemnatur a judice ad solvendum, quod revera non debet, hunc sententia non obligat in conscientia, si ipsi certum sit, quod nihil debeat, et sententia sit injusta saltem materialiter: confirmant hoc exempla et textus *c. 13. de Restit. spol. c. 44. de sent. Excomm. etc.* Hinc

R. 2^o. *Retorq. argum.* Jura irritant matrimonia clandestina, quia præsumunt periculum illud postea negandi: irritant professionem religiosam ante decimum sextum ætatis annum, quia ante hunc præsumunt defectum sufficientis discretionis: Item contractus septennio minoris, filii familias impuberis, etc. Ergo si hæc præsumpta aliquando reipsa non subsint; valebunt matrimonia clandestina, professio religiosa, etc. quia præsumptio debet cedere veritati.

230. *Inst. 5.* Etiam ante Tridentinum erat præsumptio juris pro matrimonio de præsentis contracto, si sponsus cognovisset suam sponsam de futuro, quia præsumebatur cognovisse sponsam animo maritali; et tamen non erat matrimonium, si eam cognovisset animo mere fornicario; ergo a pari idem hic de sponsalibus dicendum est.

R. *C. Ant. N. Cons.* Præsumptio juris ante Trid. pro matrimonio de præsentis in posito casu erat quidem præsumptio juris et de jure, sed fundata in facto particulari sponsi; quod si falsum esset, consequenter tota præsumptio erat falsa, carens omni fundamento, nec stringens in conscientia; sicut etiam hodie lex vel jus obligans ad cohabitandum maritaliter uxori, quia præsumit illud matrimonium contractum fuisse in facie Ecclesiæ, vel sine impedimento; non stringit in conscientia, si præsumptio sit falsa, et revera matrimonium contractum sit vel clandestine, vel cum impedimento. E contra leges ecclesiasticæ irritantes sponsalia ante septennium fundantur in præsumptione generali, quod ante eam ætatem non adsit sufficiens usus rationis, et periculi universalis fraudum et confusionum, quæ facile oriri possent, nisi certa ætas statueretur; si enim contrahens ante septennium postea stare promissis vellet, sufficeret dicere, non defuisse usum rationis; si stare nollet, negare hunc adfuisse. Lex vero fundata in hac præsumptione universali manet semper vera, semperque stringit, licet in casu particulari sit falsa præsumptio: ut patet ab exemplis jam sæpe allatis.

231. *Obj. II.* Sponsalia sunt via et dispositio ad matrimonium; ergo quod jus disposuit circa matrimonium quoad malitiam supplementem ætatem, etiam intelligendum erit de sponsalibus. *Subsumo:* Atqui in matrimonio malitia

supplet ætatem *c. Continebatur.* et *c. 4.* de Despons. impub. *c. fin. eod.*; ergo etiam in sponsalibus. *Prob. seq. Maj.* Quando utrobique est eadem ratio aliquid statuendi, non potest præsumi, quod jus circa unum sic, circa alterum aliter statuerit. arg. *L. Illud. ff. ad legem Aquiliam.* Sed utrobique hic est eadem ratio: nam sicut ratio statuendi certam ætatem pro matrimonio est potentia generandi; ita pro sponsalibus usus rationis: ergo sicut nihilominus in matrimonio malitia supplet ætatem; ita etiam in sponsalibus.

R. 1^o. Retorq. arg. Ergo quod jus disposuit circa matrimonium clandestinum, etiam disposuit circa sponsalia clandestina, quod est saltem contra communem. Item, ergo sicut matrimonii vinculum est jure divino nulla superveniente causa solubile, ita sponsalia, etc.

R. 2^o. N. seq. Maj. Ad prob. N. min. cum ejus prob. Nam disparitas est, quod jura speciali ex ratione in matrimonio voluerunt sufficere pubertatem naturalem; scilicet ob periculum incontinentiæ, fornicationis, cui malo non satis occurrissent, si præcise pubertatis legalis, non etiam naturalis haberi rationem voluissent: sed hæc ratio cessat in sponsalibus; proinde decisio facta circa matrimonium ad sponsalia extendi non potest. Imo eo ipso, quod jura illud expresserint duntaxat in matrimonio, scilicet in hoc malitiam supplere ætatem, non item in sponsalibus; clarum signum est, quod in his dispositionem indefinitam, et ordinarium juris intellectum limitare non voluerint, sed potius firmare juxta vulgare: *exceptio firmat regulam*; et proportionaliter aliis actibus a certa ætate pendentibus, ac supra memoratis nullitatem inducere defectu ætatis requisitæ.

232. *Obj. III.* Saltem non est necesse, ut septennium sit perfecte completum; sed sufficit esse completum moraliter, h. e. licet adhuc desit mensis, vel dies; ergo.

Prob. Ant. 1^o. Juxta axiomata philosophica, et ex usu Juristarum: Quod parum distat, nihil distare videtur. *Arist. 2. Phys.* Parum pro nihilo reputatur. Proxime accingendus habetur pro accincto. *L. penult. ff. de Testam. milit. 2^o.* Ultima dies in favorabilibus habetur pro completa: sic in favorem testamenti conceditur impuberi, ut testamentum condere possit ultima die: atqui sponsalia sunt causa favorabilis. *3^o.* Licet jura certos annos præscribant ordinibus suscipiendis; sufficit tamen ultimum diem esse inchoatum; ergo a pari sufficit ad sponsalia saltem ultimum diem esse inchoatum. *4^o.* Septennium determinatum est propter præsumptionem usus rationis; sed ex defectu unius alteriusque diei non cessat illa præsumptio.

R. N. Ant. Sed debet esse perfecte completum ad momentum; sicut tempus determinatum ad professionem religiosam, quæ, nisi impetrata fuerit ætatis venia, non potest emitti valide, nisi ultima dies anni decimi sexti sit ad momentum completa; idque ex eo capite, quia hoc tempus a jure præscriptum est, et ideo determinatum, ne quis suo judicio, vel arbitrio illud mutare possit. Unde

Ad 1^{um}. *R.* Illa axiomata solum locum habent in rebus arbitrariis; quando jura non præscribunt actui certam et completam ætatem, sive tempus. Hinc retorsio est in professione religiosa; item de anno probationis, qui ei præmitti debet.

Ad 2^{um}. *R. D.* In mere favorabilibus *T.* Non enim hoc certum est, ubi

jus aliquid specialiter non excipit. In aliis *N.* In sponsalibus vero contrahitur gravis obligatio et onus, uti publicæ honestatis. Testamenti factio est merus favor; hinc est disparitas. Præterea in factione testamenti est specialis exceptio; hæc autem firmat regulam in oppositum.

Ad 3^{um}. R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est, quod ex praxi Ecclesiæ, quæ est optima interpretis legis ecclesiasticæ, constet non exigi ab Ecclesia annos physice completos; sed nihil tale constat ex praxi quoad sponsalia. Deinde limitatio ætatis præscriptæ ordinibus quoad sufficientiam anni ultimi inchoati præcise ordinandorum favorem spectat. Denique jura, dum agunt de ætate requisita ad ordines, plane aliis utuntur terminis, quam ubi agunt de sponsalibus; nullibi enim dicunt, ante eos annos, quos præscribunt, completos non posse suscipi ordines, aut ita susceptos esse nullos et irritos; sicut tamen statuunt de sponsalibus. *Desponsationes ante septem annos fieri non possunt. c. Accessit cit. etc.* Vid. conclus.

Ad 4^{um}. N. min. Nam præsumptio illa est præsumptio juris, non hominis; ergo procedit universaliter, nec arbitrio privati hominis mutari potest; sicut tempus professioni religiosæ præscriptum.

ARTICULUS IV.

AN VALEANT SPONSALIA CLANDESTINE CONTRACTA? VEL SINE SCITU ET CONSENSU PARENTUM? ITEM METU GRAVI INJUSTO EXTORTA?

233. *Notandum I.* Metus dicitur trepidatio mentis periculi instantis, vel futuri causa, *L. 1. ff. quod metus causa.* Alius est *gravis*, qui cadit in constantem virum, ut quando malum, quod timetur, est ejusmodi, ut virum etiam fortem movere possit ad faciendum, quod alias facturus non esset. Alius *levis*, qui ab homine constante facile superabilis est, quia malum, quod timetur, est leve. Metus gravis iterum alius est absolute, alius respective gravis, sicut malum, quod timetur, potest esse vel absolute grave, vel respective. *Absolute* vero *grave* est, quod omnes, vel plerique habent pro gravi, quale est mors, mutilatio, cruciatus corporis per dura verbera, gravis infamia, jactura status vel bonorum et similia. *Respective grave* est, quod est grave respectu aliquarum personarum, quæ sunt minus fortes, ut feminae, juvenes, viri meticulosiores. In dubio, fueritne metus gravis, vel levis, arbitrio judicis decidendum relinquitur. An vero *metus reverentialis*, quo liberi parentibus, subditi principibus, alii majoribus ex reverentia contradicere non audent, dicendus sit gravis, vel levis, controvertitur inter Doctores. Probabilius est, quod *pure reverentialis* ex se gravis non sit; alias enim nullus fere consensus a liberis præstitus, aut contractus ob reverentiam in parentes initus, vel subditum inter et dominum firmus esset. Fit tamen gravis, si accedant graves minæ, indignantium vultus, continuæ exprobrationes, vel alia signa gravis offensæ. Sic concilianur leges, quarum aliquæ metum reverentialem pro gravi, aliquæ pro non gravi habere videntur.

234. *Notandum II.* Metum hic alium dici *justum* (non eo sensu, quo alias metus gravis quilibet dicitur justus, eo quod merito ad aliquid possit impel-